



3
26

TENTAMEN PHYSIOLOGICVM
QVO EVINCITVR
GLANDVLAS
CONGLOBATI GENERIS
ORGANA ESSE
LYMPHAM CONFICIENTIA
~~~~~

ANNVENTE  
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRAESES IDE  
**D. IOAN. CHRISTLIEB KEMME**

P. P. O.

PRO GRADV DOCTORIS  
LEGITIME IMPETRANDO  
D. XXVI. SEPTEMBR. CICICCLXXVII.  
HORIS ANTEMERIDIANIS ET POMERIDIANIS  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
**FRIDERICVS SAMVEL PIETSCH**  
WRATISLAVIA - SILESIVS.

---

HALAE  
STANNO HENDELIANO.

H. 936.1-31  
conserv.





AMPLISSIMO  
INCLYTAE CIVITATIS WRATISLAVIENSIS

SENATVI

PERILLVSTIBVS, MAGNIFICIS, GENEROSISSIMIS  
CONSVLTISSIMIS MAXIMEQVE STRENVIS

DIRECTORIBVS  
CONSVLIBVS, SYNDICIS  
SENATORIBVS

PATRIAE PATRIBVS FIDELISSIMIS  
PATRONIS, FAVTORIBVS  
SVBMISSA MENTE AETERNUM DEVENERANDIS



H O C

S P E C I M E N   A C A D E M I C U M

D.      D.      D.

T A N T I S   N O M I N I B V S

ADDICTISSIMVS   CLIENS

F R I D E R I C V S   S A M V E L   P I E T S C H

W R A T I S L A V I A - S I L E S I V S .





M  
VS  
SCH

TENTAMEN PHYSIOLOGICVM  
QVO EVINCITVR  
**G L A N D V L A S**  
**C O N G L O B A T I   G E N E R I S**  
ORGANA ESSE  
LYMPHAM CONFICIENTIA.

---

---



E<sup>st</sup> si de usu glandularum conglobatarum vix quidquam proferri posse videtur, quod aut *Hallerianis* melius sit, aut *Meckelianis* certius, idque ob summam cum virorum illustrium perspicaciam, tum rei perquirendae, experimentis scilicet inaccessae, difficultatem: tamen ego,

A

vel

vel studio adhibito, a me ipse impetrare non potui, vt vniquam ea omnino damnarem, quae ab aliquot retro annis de glandulis congregatis sentire coepi. Itaque curatus ea pleniusque nunc explicare constitui; periculum sic facturus, possimne tantam iisdem lucem veritatisque speciem adsundere, vt, si non laudem maximam, doctorum hominum affectionem, at saltim hanc consequar, me, aliorum his inuestigandi studia commouendo, bene quodammodo de ea medicinae parte promovuisse, quae in contemplatione corporis humani versatur. Qua vero in disquisitione liceat & fabricam glandularum congregatarum, quae nunc notissima est, & aliorum de vsu harum partium, saepe ridiculas magis, quam falsas, opiniones omittere. Paucas tamen ex his tangentem, quas nempe summorum virorum auctoritas resque ipsa praetermittere non sinit.

Ordinar ab eo liquido, quod *proprium glandularum congregatarum succum*, forte non omnino bene, HALLERVS dixit <sup>(a)</sup>. Is mox chyli lactisue tenuioris speciem prae se fert, mox vero lymphae naturam imitatur. Quam enim similis sit chylo, vel ex eo patet, quod necessarium duxerit HALLERVS, tirones admonere, vt animaduertant, ne eum, qui in glandulis mesentericis continueatur, chylum esse putent ab intestinis haustum. Nam *tironibus*, inquit, *solis addo*, *succum istum lacteum non esse ab intestinis chylum*, perinde enim in omnibus glandulis congregati generis reperitur, nullamque ad mesenterium propriam

<sup>(a)</sup> *Elements. phys. corp. hum. Tom. I. pag. 184.*

*prium analogiam habet* <sup>(b)</sup>. De eodem vero alibi <sup>(c)</sup> differens IDEM, *succum*, inquit, *glandulis conglobatis inesse*, *album serosum*, *lacte tenuiorem in iuniori potissimum animale conspicuum*, id quidem certum est. *Eum tremori similem dixit Thomas WHARTON*, *cinerium MALPIGHIVS*, *diaphanum NVCKIVS*, *album MORGAGNVS*, *recte & ad naturam ut puto omnes*. *Etsi enim ego album perpetuo reperi, minime tamen repugnat, ab abundante lympha aliud colorem misceri*. Evidem hoc, de lympha admixta, verene ab HALLERO dictum sit, nec ne? in medio relinquam; cetera vero, quae enarrat, cum propria, tum aliena obseruata, id cuilibet, quod pugno, satis persuadent, succum nempe glandularum conglobatarum proprium, si sensuum testimonium, vt par est in hac causa, sequamur, mox chylum lacue tenuius esse, mox autem lympham, quae nutritia vocatur.

Quod deinde ad sedem huius succi attinet: de ea quidem magna diffensione certatur. Sunt enim, qui illum in cellulosa glandularum lymphaticarum spatiola effundi censeant; quidam vero hoc ita negant, vt solis eum vasis contineri arbitrentur; postremo non desunt, qui utramque sententiam coniungant. Sed in tanta opinionum varietate, difficile tamen non est, eam inuenire, quam, cum certa sit, & vere sequi, & recte tueri possis. Et primo exhalare quidquam in cellulosam glandularum conglobatarum telam, nebstentem vas a lymphatica, dubio caret; nam id cum

A 2

ana-

(b) l. c. Tom. VII. part. pr. pag. 214.

(c) ibid. Tom. I. l. c.

analogia suadet, tum experimentum saepe repetitum, quo edoce-  
mur, glandularum conglobatarum arterias facilime liquidum suum  
in cellulosa dimittere (*d*). Cremorein vero esse succunus glan-  
dularum conglobatarum proprium, qui transfundat, argumentis  
quidem multis efficere studuit HALLERV *(e)*, dum *vbinam*, in-  
quit, *is succus habitet, nondum consentitur; ex thymi tamen*  
*exemplo, maxima glandulae, crediderim cum NVCKIO,*  
*omnino in areolis cellularum residere.* Nam in tota thymi  
glandula, *vbiunque laeseris, exiguo etiam vulnere, in eam*  
*violationem exprimi potest, neque tamen aut manifesta cau-  
itas inuenitur, qua contineatur, neque ex vase aliquo effluere*  
*videtur, cum & copiam eam guttulam superet, quae ex vase*  
*non magno inciso speretur, neque ex remotis glandulae con-  
globatae partibus per vascula adeo facile in vulnus vrgeri*  
*posset, & denique manifesto cum spuma ex cellulis cauer-  
nisque exprimatur.* Verum haud scio, an satis haec firma sint,  
vereorque valde, vt, quam multa etiam sint, reluctant aduersario  
satisfaciant. Liceat igitur, ad id probandum, luculentius argu-  
mentum, quod se sponte offert, adhibere. Nempe succo, quem  
diximus, non eae modo glandulae conglobatae redundant, quae  
proxime vasorum chyliferis lacteisue veris iunguntur, sed aliae etiam  
omnes, quas inter & vasorum ista nullum, quod hic in consideratio-  
ne veniat, vinculum intercedit. Quare fieri non potest, vt a  
vasis

" *(d) MECKEL Epist. ad HALLERVM de vas. lymph. glandulisque conglob.* Berol.  
1757. pag. 9.

*(e) Elem. phys. Tom. L pag. 184.*

vasis lymphaticis is succus adducatur. Atqui in glandulis conglobatis, si a vasis lymphaticis discesseris, nullum reliquum est, quod deserat quidquam, vasorum genus, quam arteriae rubrae, e quibus etiam via, non in vasa quidem secretoria, quod recte negari puto, sed in cellulosa certe, patula est. Itaque succus glandularum conglobatarum, propriam suam sedem in cellulari habet, quae vasa lymphatica nequit. Quod tamen non ita accipi velim, vt, a me omnem hunc succum extra vasa ponи, existimes. Nam vasa lymphatica e cellulosa glandularum conglobatarum ori-ri resorptumque inde liquidum ad cetera perferre, dubitari non potest. Neque HALLERVS, vir magnae auctoritatis, ab hac sententia alienus esse videtur. Quamquam enim, vt vidimus, in cellulosa hunc succum residere arbitratur: tamen alio loco, disserens de glandulis mesentericis, eum etiam vasis inesse contendit. Neque, inquit, impossibile videtur, utramque sententiam conciliare. Cum enim in omnibus glandulis conglobatis, & pariter in mesentericis iuniorum animalium, succus serosus, etiam lacteolus, sed tenuior reperiatur, poterit fieri, vt lactea quidem vasa prima cum secundis continuentur: caeterum arteriae cum tremore in glandularum cellulosa spatiola deponant, minimae vero venae resorbentes eundem resumant, inque secunda lactea, siue in truncos efferentes reuehant (f). Etsi haec enim de mesentericis tantum dicuntur, facile tamen ceteris glandulis conglobatis accommodari possunt.

A 3

Ve-

(f) I. c. Tom. VII. part. pr. pag. 214.

Veniendum nunc ad eam quaestione, quae omnium in tota hac tractatione, quantum perspicio, & grauissima est, & difficillima; hanc nempe: *quid succus iste praefet, quidue ipsi in glandulis congregatis contingat?* Qui eum parum curare videtur celeberrimus MECKEL, nutriendae illum cellulosa, vt in ceteris partibus, inseruire credit(g); hanc vero sententiam natura ipsa conuelliit, quae nutriendis solidis lac chylumne numquam destinare solet. Alii contra, interque eos HALLERV, vir magnus, tantae eundem virtutis esse putant, vt, eius ad chylum & lympham admixtione, omnem glandularum congregatarum utilitatem contineri existimant. Nec vero vna ratione huius admixtioneis usum definiunt. Nam illi, qui praeter HALLERV sententiam istam amplectuntur, aperte satis profitentur, haud dubitare se, quin, lympham chylumne diluendo, motum eorum liquidorum adiunet(h). HALLERV autem, quod doleas, adeo vel mutat in hac re, vel minus perspicue de ea differit, vt, quid sibi velit vir summus, aegre comprehendas. Nam de glandulis congregatis in uniuersum disputans(i), *lympham*, inquit, *ab eo glanduloso lacte admisso dilui, credere possis, ut certe admisus iste tremor chylum diluit, & facit, ut pellucidior per vasa lactea secunda a glandulis prodeat, quam per prima subiit;* ad quod confirmandum RUVSCHIVM adducit, qui obseruauit, *chylum colore lacteo intrare glandulas facie superiore eundemque glandulis exire*

(g) l.c. pag. vlt. coll. pag. 10.

(h) LUDWIG *instr. physiol.* Lips. 1752. §. 423.

(i) *Element. phys.* Tom. I. pag. 192.

*exire facie inferiore in lacteas secundi generis colore limpi-  
do* (k). Verum hanc sententiam non solum hoc ipso loco HAL-  
LERVS refellit, dum addit: *verum ea (lympha) hoc ipso cremore  
tenuior est*; sed etiam alibi (l), RVYSCHI assertionem diserte  
impugnans, sic confutat eandem, ut dubium nullum de eius falsi-  
tate superesse possit. *Vt verum fatear*, inquit, *non possum  
chyli illam attenuationem admittere.* Saepe vidi in ductu  
thoracico subaquosum chylum, vidi manifesto lymphae mi-  
stum: vidit MVSGRAVIS coeruleum a soluto indicō succo sub-  
natum colorem in eodem ductu supersuisse tenuiorem. Haec  
omnia sunt ab admista in cisterna lympha, & nihil cum glan-  
dulis commune habent. Sed toties in lacteis secundis, in  
ductu thoracico, in ipso sanguine meracissimi alboris chylum  
vidi, & meracissimus in lactifera mammarum vase deponi-  
tur. Et tamen, his ita comparatis, adicit: *neque tamen du-  
bium videtur, et si conspicuum non reddas, veram esse utili-  
tatem humoris, qui de sanguine arterioso natus in chylum se  
admisceret.* Sed, missa hac sententiarum discrepantia, quid de re  
ipsa statuendum sit? videamus.

Atque ut de iis primum dicam, qui attenuationem chyli  
& lymphae ab admixto isto glandularum conglobatarum succo ex-  
spectant: praeter ea, quae in hanc sententiam iam HALLERVS  
dixit, multa alia restant, quae regeri possunt, eademque grauissi-  
ma.

(k) Epist. anat. ad Boerhaavium, in Opusc. Boerhaavii (Hag. Com. 1738.), p. 91.

(l) Elem. phys. Tom. VII. pag. 238.

ma. Etenim docent primo experimenta, nouissime a clarissimo MECKEL instituta (<sup>m</sup>), inesse glandulis conglobatis vasa, lymphatici quidem generis, at ceteris tenuiora, quae liquidissimam tantum lymphae & chyli partem resumunt adque venas sanguiferas deserunt. Quod qua ratione cum ea sententia, quam aduersarii tuerintur, consistere possit, equidem non video. Quid enim? Volumusne arbitrari, adeo naturam a se ipsam dissentire & veluti deflectere, ut contrariis seque destrucentibus usibus vnam destinauerit eandemque partem? Evidem glandulas conglobatas nullius plene usus esse, lubentius, quam istud, concederim. Nam inutiles si essent, nihil modo, quod bonum esset, praestarent; si vero agerent quidem, ita tamen, ut actionum, quas ederent, vna toleraret alteram: tum non solum perinde inutiles essent, sed etiam magno labore otiosae nihil omnino efficerent, naturaque, ludendi veluti studio in formandis iis impulsa, commoda quaevi ipsa euerteret, quae inde ad corpus humanum redundare possent. Num vero quis est, qui adeo impudens, ne dicam impius sit, ut ferio ista effutiat in naturam, quam matrem optimam filiamque, ut ita dicam, sapientissimi numinis, ad huius veluti imaginem exprefsam, veneramur? — Deinde humor, quem reuehunt tenuissima illa, quae dixi, lymphatici generis vasā, succo glandularum conglobatarum proprio dilutior est; quod nouo arguento esse potest, haud eo fine naturam construxisse glandulas conglobatas, vt chylus in iisdem aut lympha dilueretur. — Accedit, quod adduentia glan-

(m) *Nova experiment. & observ. de fin. venarum & vasor. lymph. in ductus viscera-  
que excret. corp. hum.* Berol. 1772. Sect. I. pag. 5. seqq.

glandularum conglobatarum lymphatica vasa, in minutissimos sensim ramulos dividantur (n); a quo dici vix potest, quam multum transeuntium liquorum motus retardetur. Quod vero si ita est, tamenne putabimus, glandulas conglobatas eo tantum consilio a natura productas esse, vt, humorum, qui diluat, lymphae & chyli adfundendo, utriusque liquidi motum adiuuent? Numne videatur potius natura languidum chyli & lymphae motum necessum duxisse? plane, ad eum obtinendum, dedisse nobis glandulas conglobatas? Non est enim profecto, cur dicas: „diluentem humorum hic quidem, ad iuuandum motum, admisceri, non tam vero, vt motus languor tollatur, quam vt minuatur tantumque ei dematur, quantum necesse fit, vt in glandulis conglobatis commoda quidem quaevis, a motu difficiliore forte exspectanda, enasci possint, neque tamen verendum in sanis sit, ne, in angustissimis glandularum conglobatarum vasibus, perfecta eum quies consequatur..” Anne vides enim, commodius potuisse naturam qualemque hoc stagnationis periculum euitare, si aut nullas omnino conglobati generis glandulas formasset, aut, quod facillimum, ampliora ipsis vasibus concessisset? — Deinceps animaduertendum, chylum & lympham ne indigere quidem diluente humore, quo motum faciliorem nanciscantur. Atque de lympha, a nutritione partium solidarum residua & ad glandulas conglobatas redeunte, quin satis fluida sit, nemo dubitat; quod vero ad chylum pertinet, de spissiore eius natura multa equidem & audiui saepe, & saepius forte legi:

at

(n) MECKEL Epist. ad HALLERVM, pag. 7 seq.

at, quae euidens fit huius assertionis ratio, numquam perspicere potui. Chylus enim, ad glandulas mesentericas deferendus, non ante subtilissimos vasorum lacteorum fines subit, quam vi ingeniti aquarum, quas & cibi ipsi, & succi digerentes, & potus, & inscula suppeditant, dilutus sit; idemque & a validis viribus propellitur, & naturam lactis, quod humore diluente egere nemo contendit, aemulatur, & velociter, docentibus id obseruationibus, per vasa lactea mouetur (o). Terram in chylo abundare, ex eo quidem effici posse HALLERVS putat (p), quod *adeo frequentes in receptaculo alibique in chyli via calculi reperiantur.* Verum haec, a morbis desumpta, argumentandi ratio, sanitati non tuto satis accommodatur, forteque calculi chylosi non tam a terae abundantia, quam ab eius cum cruditate, tum laxiore cum ceteris chyli partibus connubio, aque acida chyli natura repeti debent; terra abundans porro non protinus spissitudinem infert, exemplo virinae, cuius viae calculo prae ceteris partibus patent; denique succus glandularum conglobatarum proprius perinde saepe gypseus fit aliae similia vitia contrahit (q). — Sed sit chylus, mox haustus ab intestinis, adeo spissus, vt humoris aquosi additio ne, in glandulis conglobatis, opus habeat! Adeone vero putabimus naturam aut insipienter egisse, aut male hominibus consu lnisse, vt glandulis conglobatis, chyli diluendi causa, succum derit, qui chylo ipso modo paulo dilutior sit, idque in tanta praefertim

(o) HALLER *Elem. physj.* Tom. VII. l. c. pag. 227.

(p) l. m. c. pag. 62.

(q) NVCK *Adenogr. curiosj.* pag. 38. HALLER l. c. Tom. I. pag. 184.

fertim humorum longe tenuiorum abundantia? — Dubitari quoque de vſu potest, quem attenuationi huic attribuunt. Quod enim afferunt, eo illam valere, vt motus chyli, ne nimium langescat, adiuuetur, id existimo tantum de motu chyli per minima glandularum conglobatarum vasa intelligi debere; nam vasa sanguifera tam ampla sunt, vt certe verendum non sit, ne chylus in iisdem stagnet, cetera vero lymphatica vasa, quae extra glandulas conglobatas posita sunt, & facilem chylo transitum concedunt, & diluente humore carent. Atqui tenuem istum succum chylo prius adſundi, quam minima glandularum conglobatarum vasa superauerit, si non falſum, dubium tamen est; de loco enim, in quo chyli & ſucci attenuantis remixtio contingit, anatome nil, quod certum est, nos docet. Quodque HALLERV contendit (r), ſuccum glandularum conglobatarum proprium ad truncoſ earum effe- rentes lymphaticos reuehi, id, si de proximo ſucci glandulosi re- ditu intelligi debet, aduersariis nullo modo fauet, fin de remotio- ri vero, coniectura illud potius, quam anatomes luce detecta ve- ritas est. Quare cum id in hac cauſa, quod vnum e maximis eſt, ignoretur, locus nempe, quo vtriusque ſucci confuſio fiat: merito de proposita ſucci glandulosi vtilitate dubitare licet. Quodſi chy- lius enim ante initum cum ſucco diluente connubium, vasa mini- ma glandularum conglobatarum transiret, motui eius nullum ad- iumentum afferret ſuccus glandularum conglobatarum proprius. — Neque porro analogia conſentit. Glandulas conglobatas testibus comparat MECKEL (s); neque adſunditur tamen liquidum, resorp- tum

## B 2

(r) I. c. Tom. VII. pag. 214.

(s) Epift. ad HALLERVUM, pag. 19. 20.

tum e cellulosa tela, vasa semiflava necente, femini, ut eius iter adiuuetur, sed, a vasibus lymphaticis suscepimus, ad trunculos lymphaticos fertur. — Quod denique supereft, in eo etiam puto errasse illos, qui aduersam sententiam defendendam suscepserunt, quod, chyli attenuatione in glandulis congregatis aut assumpta tantum, aut vere detecta, ceteros earum glandularum utilitates penitus fere neglexerint.

Nihilne autem succus iste, chylo adfusus, praestat? Nihil omnino. Quae enim, in considerandis liquidis humanis, spectari possunt momenta: motus, quantitas & qualitas, ea in chyli quoque, neque vero plura, cadunt. Verum ad augendum minuendumque chyli motum succus laudatus nequidquam, quod vtile est, confert. Ideinque de quantitate chyli dicendum. Quod autem ad qualitatem chyli pertinet: haec facta aut attenuatione, aut condensatione, aut obuolutione acrimum, utiliter, ut videtur, mutari posset. Sed de attenuatione iam dictum; condensationem chyli nemo facile a succo glandularum congregatarum proprio expectabit; obuolutione acrimum autem nec indiget sanorum chylus, nec, si indigeret, praestandae ei tremor glandulosus sufficeret. Breuiter haec exposui, ne in re leui & euidenti longus esse videar. Quae vero de chylo proposui, non minus vere de lympha dici possunt.

Iam vero, his partim intellectis, partim refutatis, reliquum est, ut in alteram quaestionis propositae (p. 7.) partem, quid ipsi

ipsi nempe huic succo in glandulis conglobatis contingat? sollicite inquiramus. Quapropter atque ut omnem, quantum hominibus datum, errandi occasionem praescindamus, res ab alto, quod dicunt, repetenda est. Chylus, ad sanguinem vectus, non protinus naturam suam amittit, sed aliquamdiu eandem integrum, quantum nempe sensibus cognosci potest, retinet; demum vero, elapsu aliquo tempore, quod accurate definiri non potest, in sanguinis partes coctione noua conuersus, euanescit, aut saltim, albore suo nativo exutus, amplius conspici non potest<sup>(z)</sup>. Igitur chylus, vt cunque purus, aliquamdiu cum sanguine circumductus, non poterit non in conuenientia loca secerni; quod a physiologis fere praetermitti, tametsi usum late patentem habeat, vheimerter miror. Id autem, quam verum sit, multis magnisque argumentis effici potest. Nam primo sanguinis partes omnes, crux re solo excepto, subeundae secretioni aptae sunt: numne igitur chylus etiam, sanguini non dudum adsusus? — Deinde chylus similissimus est lacti, quod secerni nouimus. — Chylus porro sanguini, eo leuior, innat<sup>(u)</sup>; perinde igitur, ac adeps, facile, ad parietes arteriarum pulsus, cellulosam subibit<sup>(v)</sup>. — Postea chylus nec sanguini prius miscetur, quam superauerit mesenterii glandulas, in quibus, dum minima vasa percurrit, attenuatur, nec cum sanguine circumire potest, quin lymphae serique sanguinis partem recipiat: quo utroque, quantum proclivitas chyli in secretionem augatur, nemo non intelligit. — Accedit, quod chylus, coctionis

B 3

plenas

(z) HALLER *Elem. phys.* Tom. VII. Part pr. pr. 239. & plur. loc.(u) HALLER *Elem. phys.* Tom. VII. pag. 61.

(v) IDEM l. c. Tom. I. pag. 38. 39.

plenis vires nondum expertus, laxius cum sanguine cohaeret. — Praeterea fieri non potest, quin liquidum fecernatur, quod vasa tam minuta, ac chylus permeauit. — Postremo secretionis chylœfæ exempla non defunt. Nam, vt id iam mittam, quod a lacte repeti potest, & in utero lacteolus succus inuenitur (w), & in glandulis congregatis. Etiamne prostatae succus huc referri potest (x)?

De locis autem, chyli secretioni a natura destinatis, non est, quod multis disputemus. Cum enim duo sint secretionum genera, quorum unum ad poros, alterum ad vasa cum viscerum, tum glandularum pertineat: chylum, utroque in vniuersum modo, nominatum vero in cellulosa, utero glandulisque quibusdam fecerni posse, intelligitur.

Quibus autem ita constitutis, sequitur, chylum non eas modo, quae mesentericae dicuntur, sed ceteras etiam omnes congregati generis glandulas percurrendo, idque plures quidem & hac ratione, ut, a sanguine semper secretus, iterumque ad eum rediens, quandam veluti circuli speciem usque eo absoluat, dum, deposita eius natura, lympha in illius locum succedat. Natura igitur magnum sibi videtur finem proposuisse, quo commota hunc chylosum circulum instituerit; eumque si assequi possemus: habemus maxima ex parte, quantum nempe ad chylum pertinet, quod quaerimus — usum glandularum congregatarum. Age itaque, videamus, in quo is consistat; aut enim omnia me fallunt, aut,

(w) HALLER l. c. Tom. VII. Part. post. pag. 69.

(x) IDEM l. c. Part. pr. pag. 466.

aut, qui eum definit, magnum operaे pretium meretur. Qua  
vero in quaestione duo maxime spectari debent; structura glandu-  
larum congregatarum & finis, ad quem obtainendum, natura anima-  
libus, imprimisque hominibus chylum concessit. Et *illa* attendi  
debet, vt, quid vi structuræ glandularum congregatarum fieri possit,  
intelligamus; *hic* vero, vt, inuenio eo comparatoque cum illis,  
quae per structuram glandularum congregatarum fieri possunt, ea  
plane, quae inde a glandulis congregatis ad chylum redundet,  
utilitas perspiciatur.

Nec vtrumque difficulter inuenitur. Glandulae congo-  
batae enim cum hanc structuram nactae sint, vt vasis lymphaticis  
cum tenuissimis, quae dixi in superioribus (p. 8.) a MECKELIO esse  
inuenta, tum aliis gaudeant, illis quidem paulo amplioribus, ob  
repetitas tamen vasorum diuisiones sat tenuibus: patet, glandulas  
conglobatas, vi structuræ, aquam solutosque in ea sales resorbere  
& ad sanguinem deserre, crassiores vero laxiusque cohaerentes  
transeuntis liquidi partes attenuare perfectiusque sibi miscere. De  
chylo autem constat, eum & putredinem arcere, & restituere ac  
augere id, quod de fluidis decessit.

Nunc vim chyli antisepticam neque producere vlo modo,  
neque augere possunt, glandulae congregatae. Ea enim, cum  
maxime in acida chyli natura, deinde autem in eo posita sit, quod  
chylus partibus abundet nouis, vires circulationis nondum exper-  
tis, tantum abest, vt, transitu chyli per glandulas congregatas, vel  
producere possit, vel augeri, vt eo potius infringi debeat, idque non  
tantum propter attritum, in vniuersum spectatum, quo procluitas  
ad

ad putredinem mirum in modum increscit, cuique non poterit non in angustissimis glandularum congregatarum canaliculis subiici, verum etiam propter subactionem acidi, quae intimorem partium miscelam consequitur, & qua sit, vt, reuinctum veluti ceteris partibus acidum tam libere nequeat, quam ante quidem agere.

Quae vero cum ita sint, sequitur, glandulas congregatas vel nihil omnino, ad perficiendum chylum, conferre, quod haud probabile, vel id efficere, quod alter chyli usus postulat - succorum humanorum e chylo confectionem.

Succi autem humani praecipui, e quibus ceteri nascuntur, hi sunt: serum, adeps, mucus, crutor, lympha. Serum sponte fere fit ex aqua chyli. Neque adeps difficulter ex oleo, quod in chylo redundat (y), conficitur. Mucus, lympha non satis subacta coctaue esse videtur (z). Cruor ex oleo paratur terraque martiali, vi vasorum sanguiferorum, maxime minorum, inter se coniunctis. Sola igitur lympha supereffet, cuius confectionem glandulis congregatis tribuere possemus.

Atque nobili huic negotio praeesse glandulas congregatas, multa sunt, quae suadeant. Et illud primo, quod e dictis modo sponte consequi puto: glandulas nempe congregatas aut nullam, quod ad chyllum spectat, aut eam habere utilitatem, quam proposui. - Plurima deinde corporis humani vasa, id, quod continent, liquidum, quodammodo saltim, praeparant. Quidni igitur suum etiam vasa glandularum congregatarum lymphatica? - Glandulae potro

(y) HALLER I. C. pag. 62.

(z) KLINKOSCH in Diff. clar. KRAVSS de natura crustae inflammat. in sanguin. missa appar. Prag. 1773. pag. 38.

conglobatae porro ad testium naturam proxime accedunt. In testibus vero succus lymphaticus, semen ipsum nempe, paratur. — Praeterea structura glandularum congregatarum consentit. Lympha enim aqua est, quae oleum terramque albam tenerimam, artefissime inter se iuncta, soluta tenet. Poteritne iam pars vlla corporis inueniri, quae vniendis his partibus aptior sit, quam glandulae congregatae? Eae enim crassa attenuant, laxius cohaerentia vniunt fortius, dumque superfluam aquam reuehunt, id praestant, vt ceterae sibi partes intimius misceri queant. — Neque est, praeter glandulas congregatas, pars vlla in corpore humano, cui lymphae praeparationem deferre possimus. Vasa sanguifera enim non tam lymphae, quam cruris confectioni inseruire, notum est. — Nouimus quoque, quod, quanto puriori, meliori & copiosiori lympha opus sit in homine, tanto glandulae congregatae in eo perfectiores existant, vt in fetu, infantibus. — Quodque insignis esse debeat utilitas, quam adferant corpori glandulae congregatae, cum e copia multitudineque earum, tum ex eo patet, quod vix vltum lymphatici generis vas sit, quod non glandulas congregatas salutet. Hanc vero utilitatem si negas in lympha paranda perficiendaque positam esse, equidem, quae ea sit demum, perspicere non possum. — Post haec chylus, in lympham convertendus, eo sane minus potest glandulae congregatarum adiumento carere, quo manifestius humor lymphaticus, qui est unus e tenuissimis corporis humani succis, plane ex ea chyli parte, quae omnium crassissima est, parari debet. Chylus enim, lactis instar, e cremore, fero & ea, quam caseosam dicere solent, materie conflat<sup>(a)</sup>. Cremor autem chyli, serumque eius ni-

(a) HALLER I. C. Tom. VII. Part. pr. p. 62.  
C.

mīnum a lymphae natura absunt, quam ut possint cum ea comparari; caseosa contra chyli materies & coagulabili indeole, & visciditate, & maxima in putredinem proclivitate, lympham humanam aemulatur. — Postremo, fetus lympha elaboratissima opus habet. Et is ipse tamen, si a glandulis congregatis discesseris, adminiculis paene omnibus, quibus praeparatur lympha, destituitur (*b*).

Atque haec de chylo. Cum is vero sensim, in glandulis congregatis, euanescat, succedente in eius locum lympha: quid huic in his glandulis contingat? restat, ut strictim explicetur. Quia autem in quaestione imprimis debet ea spectari, quae a nutritione partium solidarum, ut loqui amant, refluit; reliquam enim magis in glandulis congregatis magisque elaborari perfectaque fieri, nemo, ut puto, inficias ibit. Sed refluae lymphae contemplationem ea potissimum postulant, quae de minimis, a se detectis, glandularum congregatarum lymphaticis vasis, prodidit MECKEL (*c*). Haec enim habet: *Vbique organis secretioni cuidam in corpore nostro dicatis, adminicula vasculosa reuebentia pro depuratione & perfectione liquidi secernendi data esse, ex hepatis, mammarum, testiculi &c. structura abunde elucet.* Haec adminicula, glandulis lymphaticis congregatis, natura in venis posuit, ut operarum cum lymphaticis vasis inosculatarum, heterogeneae a lympha nutritia particulae, ut & aquosa liquidior eius pars, ex glandula educerentur, lymphaque hinc gelatinosior, nutritioni corporis aptior ac purior euadat. Minores hanc ab ratio-

nem

(*b*) cf. BASSII obseru. anat. chirurg. med. Dec. I. obseru. I.

(*c*) Nou. exper. & obseru. pag. 13. 14.

nem sunt extremitates venosae, cum lymphaticis vasis in glandulis conglobatis connexae, illis, quae lympham directa per glandulam in maiorem lymphaticum truncum transfuerunt. Neque dubitandum, angulum lateraliter ex glandula excurrentis ramuli cum venae surculis connexi, itidem hoc multum facere, ut itaque non nisi difficulter, & hinc non nisi aquifior & nimis fluida lymphae pars, in haec venae oscula naturaliter intret. Existimat igitur MECKEL, lympham, a nutritione partium solidarum residuum, amissis gelatinosis, multis heterogeneis & aqueis partibus redundare, eas vero a minimis istis, quae descripsit, lymphaticis vasis ad sanguinem resumti, sive effici, glandularum conglobatarum auxilio, ut lympha refluat nutriendis solidis iterum aptior euadat. Quae autem theoria utinam verae laudem aequo iure, quam elegantis mereretur! Licetne enim de ea humaniter dubitare? pauca in ea dicere, quae enuncianit vir magnus, quem, si quis alias, ego certe multis nominibus venerandum esse puto?

Mittam vero ea, quae de comparatione glandularum conglobatarum cum organis secretoriis deque angulo laterali minimorum vasorum lymphaticorum, edixit MECKEL; mittam, inquam, haec, quam falsa etiam aut incerta sint, ne aliena & ea, quibus carere possumus, persequens, laureolan, quod aiunt, in mustaceo quaerre, quibusdam saltim, videar. Rem itaque ipsam potius volo, paucis tamen, cum longiori sermone non opus sit. Primoque enim, quem proposituit MECKEL, resorptionis glandulofae usum, nullius omnino momenti esse puto. Quid enim? Numne lympha, redux

in sanguinem facta, sanguinis miscetur sero, & salinis & aqueis partibus scatente? Igitur operaे pretium natura faceret, si aqueas salinasque lymphae partes in glandulis congregatis reduceret, quas ipsas tamen ea non posset non breui recuperare? — Etsi *deinde* plurimi, ne dicam omnes in ea versantur opinione, quod lympha nutritia, peracta, sic dicta, nutritione refluens, partibus gelatinosis careat, aqueis autem superfluis reserta sit: de eo tamen haud imminito dubitari potest. Refluam enim lympham nemo, quantum memini, aqueis salinisque partibus pleniorum obseruauit; cumque ad humectationem solidorum non minus, quam ad nutritionem faciat lympha: non bene perspicitur, quid sit, quod aquae redundantiam in reflua lympha efficiat? denique in adultis ne hoc quidem satis est certum, quod lympha nutritionem veram praefest (<sup>d</sup>). — *Postremo* lympha, dum secernitur, ab aqueis partibus, quantum necesse est, liberatur. Igitur resorptione glandulosa opus habet?

Quod restat, si hoc tibi mirum videatur, quod glandulae congregatae, etsi, ex mente nostra, tantam ad preparandam & perficiendam lympham, vim habeant, tam cito tamen exarescant & paene euanescent (<sup>e</sup>); in primis meminisse te oportet: nutritionis necessitatē in homine sensim decrescere, multaque congregati generis glandulas, vel in adultis, integerrimas superesse.

(d) Vid. *PRAESIDIS* Beurtheilung eines Beweises vor die Immater. der Seele aus der Medicin, Halle 1776. & Erweit. Benjamin SCHMIDT, amici integrerni, Diff. inaug. de nutritione solidor. in sanis, Praesid. Illustr. & vener. BOEHMERO, Halse 1776. ventil.

(e) HALLER l. c.

Halle, Diss., 1777/78

VD18

ULB Halle  
002 187 604

3




sb





B.I.G.



TENTAMEN PHYSIOLOGICVM  
QVO EVINCITVR  
GLANDVLA S  
CONGLOBATI GENERIS  
ORGANA ESSE  
LYMPHAM CONFICIENTIA  
ANNVENTE  
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRAEST DE  
D. IOAN. CHRISTLIEB KEMME

P. P. O.

PRO GRADIV DOCTORIS  
LEGITIME IMPETRANDO  
D. XXVI. SEPTEMBR. CICICCLXXVII.  
HORIS ANTEMERIDIANIS ET POMERIDIANIS  
PUBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
FRIDERICVS SAMVEL PIETSCH  
WRATISLAVIA - SILESIVS.

HALAE  
STANNO HENDELIANO.